



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **LAETITIAE***

IN COLUMBIA PRAEFECTURA APOSTOLICA LAETITIAE AD GRADUM
VICARIATUS APOSTOLICI ATTOLLITUR IMMUTATIS FINIBUS ET NOMINE

Cum in Praefectura Apostolica Laetitia, intra fines Nationis Columbianae sita et dioecesi Sanctae Rosae de Osos concredita, catholica religio haud parva suscepisset incrementa, ut missionariis inibi studiose alacriterque operantibus meritum tribueretur testimonium laudis simulque eorum animi confirmarentur ad novos maioresque in dies exanclandos labores, visum est eandem Praefecturam Apostolicam ad gradum Vicariatus Apostolici esse evehendam. Nos igitur de totius Dominici gregis bono solliciti, audita rataque habita tali sententia a Venerabili Fratre Nostro Cardinale Praefecto Congregationis pro Gentium Evangelizatione relata, summa, qua fungimur, potestate Praefecturam Apostolicam *Laetitia* ad gradum Vicariatus Apostolici attollimus, immutatis finibus et nomine; quem quidem dioecesis Sanctae Rosae de Osos assiduis curis, uti adhuc, committimus. Haec omnia perducet ad exitum Venerabilis Frater Beniaminus Stella, Archiepiscopus titulo Midilensis et in Columbia Apostolicus Nuntius, cui iniungimus onus authenticum exemplar actus peractae executionis ad memoratam Congregationem remittendi. Hanc denique Nostram Constitutionem iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo tertio mensis Octobris, anno Magni Iubilaei bis millesimo, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 7, pp. 421-422

© Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana